

P V I S

1 6 1 8

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Efi 14

# QUADRIFIDA ANNI CORONA

*Ex 81987*

Regij vatis Psalmo 65. excerpta.

E<sup>5</sup>  
Carmine Heroico olim con-  
texta & explicata

M. HENRICO IVNIO SV-  
LANO, Legitimæ scientiæ stu-  
dioſo.

Erasmus.

Poëtica est condita ex omnium disciplinarum de-  
licijs ac medullis placenta, atq<sup>z</sup> compositum ex  
selectissimis quibusq<sup>z</sup> flosculis mellificum,

— 06 ( ) 90 —

L I P S I A E.

Sumtibus JACOBI APELLI, Bibliop.

A N N O  
C V M D E O.

EPIGRAMMATIVM

Ad celebre illud Regij Vatis Psalmo 65. dictum

Tu coronas annum benignitate tua, &c.

**Q**ui Deus omnigenis sœcundat dotibus Orbem,  
Et sua viuenti pabula cuiq<sub>z</sub> dicat;  
Ille coronauit sic totum hunc fructibus annum,  
Quò fera, quò latus cunctus ouaret homo.  
Ille coronabit simili bonitate futuros,  
Gratus ei nostrūm sit modè quisq<sub>z</sub>, dies.  
Ille coronabit durabiliore Coronā  
In cœlis, gratos qua manet atq<sub>z</sub> pios.  
Ergo ad Sidereum aspirat quicunq<sub>z</sub> Coronam,  
Sit pius aeternum gratus & ante Deum.

M. H. I. S.



EXIMIO.

E X I M I O

Natalium splendore, præ-  
clarâ indole, optimaq; expe-  
ctatione adolescentibus:

IOHANNI DE VIATIS

Noribergensi:

ALBERTO ] ANCKELMAN  
IOACHIMO & ] NIS, Fratribus  
CASPARI ] germanis, Ham-  
burgensibus:

IOHANNI HEINIO Lipsensi:

HENRICO & ] ROITHAV-  
CHRISTIANO ] PTIIS,

HE N R I C I Iunioris, Senatoris olim  
Lipsensis integerissimi &c. relictis  
filijs :

Pietatis, opt. artium, linguarum cardina-  
lium, omnisq; elegantioris literaturæ stu-  
diosis: discipulis suis ut obsequentiis. &  
diligentissimis, ita longè carissi-  
mis S. P. D.

A 2 Haud

**H**AUD nescire reor, vos, cur hoc tempore vobis,  
Discipuli, a me olim carmina scripta dicem.  
Scilicet ut tritæ fungar vice cotis, acutum  
Quæ reddit ferrum, cum fecer ipsa nihil.  
Et moneam, vt vates, atq; exemplaria vatum  
Versetis cupidâ nocte dieq; manu.  
Namq; Dei omnis præclarum est vera Poësis:  
Pectora quæ rebus perficit vna bonis.  
Vsq; adeò, vt quem non diâ iuuat arte Poësis:  
Non valeat docti nomen habere viri.  
At non commendo vobis quamcunq; Poësin,  
Nec Paphiæ tractat quæ impia furta Dææ.  
Sed spretis nugis gentilibus atq; profanis,  
Officijs quæ sit tota dicata sacrâ.  
Attramen & veterum cognoscite carmina vatum:  
Sed modò, quæ bona sunt, carpite dicta, boni:  
Instar apum, quæ hinc inde volant, atq; omnia li.  
Nilq; tamen præter dulcia mella legunt. (bant)  
Cætera mittatis: ne quod callere necesse est,  
Olini ignoreris, dediti inutilibus.  
Hæc vestris memores animis infigite: vobis  
Offero quodq; melos consulitote boni.

V. Præcept.

M. Henricus Junius Sulanus  
L. V. Stud.

Psalms.

**S**almographi vatis sacros iuuat ire per  
hortos,  
**E**ius & irriguis quædā de fontibus hausta  
Ducere pertenui modulantem in carmina versu.  
Tu modo divino complex qui numine mundum,  
Quo sine nil alti quicquam mens alta peregit,  
Spiritus alme, sacro linguarum munere mentes  
Ditans, ipse meis non vanis annue captis.  
Huc ades, atq; mihi concede in carmine vires,  
Te duce, quò possim sperato sine potiri.  
Vnde sed incipiam? quis erit mihi carminis ordo?  
Robore destituor nec enim satis augur Apollo  
Pectora Pierio firmans de fonte rigauit.  
Sed tamen experiar, numquid comprehendere possim,  
Si modo tu flamen nostros adiuueris ausus.  
Continuò has leges, æternaq; fœdera sanxit,  
Ille opifex ampli mundi, quo tempore primum  
Sanctum, animiq; capax animal tellure creatum  
Finxit in effigiem sacram, nec Numinis cassim,  
Ut foret haud tantum spectator cuncta potentis,  
Ipsius atq; operum fando, quæ fecerat autor:  
Verum etiam interpres, celebrator & ore perennis.  
Quare non homini tribuit, quam mente carenti  
Tauro, membrorum formam, turpeq; figuram.  
Sed cum deijciant animalia cætera vultum  
In terram, prono meditantia corpore pastum:

Cernere soli homini celum concessit Olympum,  
Tollere & erectos ad cœli lumina vultus.  
Hoc ut dispositum mira compage theatrum  
Mundi, sublimisq; poli splendentia signa.  
Lustraret, lustrata oculis extolleret ore  
Grato, non etenim satis est spectasse, sed ansam  
Hinc trahat, ut noscat factarum Numinis rerum.  
Nec noscat saltem ; sed adoret, & inuocet usq;  
Siue sui solus versetur limine tecti,  
Siue domus summi collustret templa Iehouæ.  
Nil etenim sub Sole viget, quo lumina cung<sup>3</sup>  
Tandem conijcas, quin summum summa potentis  
In genus humanum constanter prodat amorem,  
Inflammaretq; pios animos, quo grata vicissim  
Quisq; creatori cantent præconia laudum.  
Hoc & gentiles diuini luce carentes  
Verbi, viderunt ductu rationis : & illinc  
Creuit in immensum numerus, cultusq; Deorum.  
Hinc male cordatus celebrat Lenæa Pelasgus,  
Orgia Romanus Bromio Trieterica Baccho :  
Et quibus illorum messis, vindemia & ipsa  
Exornata foret, sicut & Floralia Floræ.  
Introduxerunt, & fæda Pithægia ; porro  
Ne vitium deperdat, Robigalia, fructus.  
His non inferior Moses tria festa quotannis  
Egit, & hoc stolidæ carnis non fecit ab ausu :

Sed

Sed quia præciperent summi mandata Tonantis,  
Ad quæ cuncta simul properabat mascula proles:  
Proquod sibi donis concessis cœlitus, vna  
Quisque Deo meritas soluebat pectore grates.  
Ergo age nos Mosis vestigia grata secuti:  
Quas, quantasque Deo etapsi pro dotibus anni?  
Quas & præsentis largis pro frugibus anni?  
Quas itidemque alijs debemus promere grates  
Pro donis, quæ quaque die cumulata ministrat?  
In primis benefactorum cum copia tanta,  
Ut, mihi si centum Deus oraison antia linguis.  
Ingeniumque capax, & labra diserta dedisset:  
Non tamen illa meis complecterer omnia dictis?  
Sed, cum deficiunt vires, audacia saepe,  
Et laudem quandoque suam, voluisse, meretur:  
Non erit ingratum si qualescumque Iehouæ  
Soluerimus grates: fastigia summa secuti  
Rerum, præsentim quia idem fecisse videmus  
Psalmographum, louam celebri qui voce celebrat,  
Humanam diuo quod seruet numine gentem,  
Quodque homini, cunctisque feris sua pabula præstet.  
Totus, ait, bonitate tua quasi pulchra Corona est,  
Omnigenis passim decoratus dotibus annus.  
Namque tua pleni stillant pinguedine calles.  
O quam memorem hanc, digner quo nomine vocē?  
Solenni certè Synodo dignissima nostrâ est:

Nam quid cum primis hoc tempore dignius anni  
Proferri poterit, præsentiq; aptius horæ?  
Siue quis est adeò procul à pietate remotus,  
Quin, cum se videat nullâ ratione referre  
Posse Deo meritas æquali pondere grates,  
Saltem, quas possint meditari pectora, dicat?  
Quandoquidem sani nos degimus hactenus usu  
Aëris, & largo nacti iam fœnore messem.  
Tum verò lacos cingit vindemia colles,  
Iam iam promiuros uberrima Massica Bacchi  
Munera, quæ mæstis exolvunt pectora curis.  
Israëligenas hoc tempore nouimus anni,  
Haud studio vano sacra festa agitâsse tabernis  
Hinc quibus à positis manserunt nomina scenis:  
Vt plebs consenseret solenni singula cœtu,  
Et quas fundit opes tellus, ascriberet vni  
Jouæ, qui vultu benedicit frugibus æquo,  
Omnia ut humanæ vitæ nascantur ad usum.  
Sed ne præfixo decedam tramite: vates  
Accipe, quid memoret, memoriq; infigito menti.  
Annum, ait, ipse tuâ cinctum bonitate coronas.  
Paucis hæc equidem constat sententia verbis;  
Sed si mens esset, magna pro pondere rerum,  
Singula non fusè, sed stricto expendere versu;  
Ante diem clauso componeret ater Olympo  
Vesper, nos nedum præsens excluderet hora.

A. 7

Ast cum sit virtus ad paucula multa referre :  
Rimandum primò nobis est, quis sit is autor,  
A quo ceu largis manant de fontibus orta  
Flumina per totum mundum diffusa bonorum.  
Dic igitur nobis iam quis sit, Regic vates,  
Annus & indutus cuius bonitate Coronâ,  
Cuius item passim stillent Pinguedine cliui ?  
Est Deus, acceptata Sion cui concinit hymnos,  
Votaq; cui Solymâ crebro redduntur in vrbe.  
Gentiles densâ mentis caligine falsi,  
Quisq; Deos varios varijs colucre sub oris.  
Nam Siculus Cererem, Pharius sed adorat Osirin,  
Orat vertumnum verum ceu Numen Hetruscus ;  
Triptolemumq; Dei sed & Atticus instar adorat.  
Quin vesana illos adeo dementia cepit,  
In numerum vt ferrent animalia bruta Dcorum.  
Præsertim Aegyptus fermè genus omne ferarum,  
Tot rerum portenta colens, Crocodilon adorat ;  
Oppida tota canem, tumidum venerantur & angue.  
Porrum & cepe nefas erat escam apponere mensæ.  
O stultas gentes, quibus hæc sunt numina monstra !  
Hos sed Romani longè superasse videntur,  
Dum sibi plus reliquis Sophiæ sumsere, putantes  
Pro stultis Pharios, quoniam Crocodilon adorant,  
Et tamen hos ipsi venerantur nomine Divum,  
Esse quibus forsitan rerum Natura negavit :

A 5

Qualis

Qualis Agonius est, rebus qui præsit agendis,  
Aut qui consilijs Consus, vel Eanus eunti.  
Tum qui rura beet, Lympham, Euentumq; bonorū.  
Sed neq; quām multæ species, nec nomina quæ sīnt,  
Est numerus: nec sunt fortassis digna relatu.  
Quæ qui scire cupit, Libyci cupit æquoris idem  
Niscere, quām multas turbo conuoluat arenas.  
Ergo vides multò quām nos Iesseius heros  
Verius eruditat & verum dum monstrat & vnum  
Numen, donorum quod sit largitor, & omnis  
Prouentus, & frumentum, que terra recludit.  
Tu Deus es, fatur, cuius benedictio dicit  
Annum: pinguedo tua per vestigia stillat.  
Mobilis hoc vulgi crebro iactatur in ore,  
Et tenet haud extremam inter prouerbia sedem:  
Posticâ caluâ prior est frons; ipsaq; semper  
Occiput ac Domini frons commoda plura reponit.  
Rursus & arua sagax Domini fœcundat ocellus.  
Quippe quod ipse suis intersit rebus agendis  
Oeconomus, præsitq; intentâ mente, neq; eius,  
Quod velit exacte curatum, industria seruis.  
Mandat. Seruorum reddit na... a Caballum  
Strigosum: Domini vero præsentis obesum.  
Gnauit igitur Deus Oeconomi vice fungitur almus,  
Qui non conductis curam commendat agiorum  
Seruis: ast oculis paſcentibus omnia lustrat

Ipse

Ipse suis, fundos & sedulus ipse peragrat,  
Imprimis ipse pedum gruidis vestigia sulcis.  
Ipsi, ne damni capiant quid maxima cura est.  
Nam quod prudenter vulgata Paræmia dicitat:  
Efficiunt agros Domini vestigia pingues:  
Hoc fermè vates Iesseius cantat iisdem  
Vocibus: & longè de nostro rectius insit  
Agricola: Sudat tua per vestigia pingue.  
Tu largis terram sœcundans messibus ornas,  
Frumentum varium de se quo prodiga fundat.  
Tu sulcos riguâ tectos aspergine potas,  
Lenibus aspirans Zephyri tu statibus indis.  
Telluris gremio vires, ut læta vires tens,  
Germina trudat ager multâ vbertate refertus.  
Ast hæc fertilitas haud sese segnibus offert:  
Quando nil iustus sine magno Ioua labore  
Conedit, curis acuens mortalia corda,  
Nectorpere graui patitur sua dona veterno.  
Sed duntaxat ei, votis qui implorat eundem,  
Et precibus tendit castas ad sidera palmas;  
Nec duros unquam detrectat ferre labores.  
Nam quis seminibus commixtum dulcibus anfert  
Zizanium infelix? quis torrida viscera terra  
Imbris humectat, nisi qui Deus onnia prestat?  
Quis segetes sterili prohibet rubigine letas?  
Congrua naturis cunctis quis pabula curat,

Præter

Prater diuinum quod sustinet omnia Nomen?  
A quo fertilitas ruris restagnat & omnis  
Annonæ ubertas: huius bonitate reuinctus  
Annus quadrisidus renitet fragrante Coronâ.  
O mihi iam rebus diues facundia crescat,  
Omnes elogio dignas quo pandere dingo  
Sustineam rerum species, & munera Diuum!  
Peligus vates (adèo non cetera demens)  
Quatuor expediens constantem partibus annum,  
Infert eiusdem modo tempora bina Coronis:  
Stabat nuda æstas, & spica fertagerebat,  
Verq; novum stabat cinctum florente Coronâ.  
Cetera non it idem tanto dignatur honore:  
Stabat & Autumnus calcatis sordidus vuis,  
Et glacialis hyemis canos hirsuta capillos.  
Quàm multò noster vates sapientior, infit:  
A Joua totum cingi viridante Coronâ  
Continuèq; nouis redimiri fructibus annum.  
Atq; coronarum celeberrimus extitit usus  
Antiquis, habitus permagno semper honore.  
Nam si quem populus quondam Mauortia propter  
Facta Duem legeret, ceu summo munere, nudum  
Cingebat caput illius benè olente corollâ.  
Quin & adhuc tedis illarum est plurimus usus.  
Pluraq; ne sileam hoc, insunt miranda coronis.  
Namq; suo velut hæstexu rediguntur in orbem

Sic

Sic in se sua per vestigia voluitur annus.  
Ac velut in sertis reperitur copia florum,  
E quā commoditas homini non surgit inanis :  
( Nam florū vegetum commissio spirat odorem,  
Humanamq; suā recreat dulcedine mentem)  
Iisdem sic anni perfat perfecta Corona.

I. Ver.

Ergo suis breuiter per agremus partibus annum :  
Verq; iuuat primū paucis attingere verbis.  
Quid, rogo, iucundum tribuit natura creatis,  
Cuius non etiam subsit bona copia veri ?  
Semina tunc iterum veteres meditantur aristas ;  
Luxuriant vario spirantes germine campi :  
Solamen nemorum, volucres, & gratia ruris ,  
Sua uibus hac illac concentibus aēra mulcent.  
Omnia tunc resonant auibus virgulta canoris.  
Quid? quocunq; tuo contorques lumina vultu:  
Omnia lētitiam vernantis temporis edunt.  
Omnia tunc florent, tunc formosissimus annus.

II. Aestas.

Vertepidum sequitur calidissima solibus Aestas;  
Findit hiulca siti quando canis astifer arua,  
Et cantu querulæ rumpunt arbusta cicadæ.  
O si Nestoreum narrandi flumen haberem,  
Ut veluti frugum facit amplificatio partes  
Exauctas anni: sic nostra oratio gliscat.

Tunc

Tunc curuam messor falcem supponit aristis,  
Excudit & prægnans maturas area messes,  
Exultatq; suâ latus de fruge colonus,  
Vasta quod omnigenis frumentis horrea turgent.  
Hinc sua contiguè manat mortalibus esca,  
Aptaq; iumentis sumuntur pabuli pandis.

### III. Autumnus.

Nunc fari pergo de prosperritate Autumni.  
Quando iam breuiorq; dies, & mollior aëtas  
Ingruit, & reliquæ distendunt horrea fruges:  
Tunc sepe plenis calathis tibi promiser offert  
Autumnus, species pomorum mille ministans.  
Quorum gustatus non oblectamina tanum  
Confert, & cœnis bene condimenta parandis.  
Viuida quin eadem quoq; odoramenta remittunt,  
Dulcis & illorum aspectus delectat ocellos.  
Letaq; tunc letos vestit vindemia colles,  
Qui mox plena nouo fundant Carchesia Baccho,  
Anxia contracto redimunt quæ corda dolore.

### III. Hyems,

Autumnum linquens, hyemalia commoda pando.  
Cum gelidus Boreas syluis decussit honorem,  
Vndiq; & aggeribus niueis riget obruta tellus,  
Atq; astricta gelu septem consurgit in vlnas:  
Et repidis ouium relantur corpora lanis.  
Et licet extet hyems canos hirsuta capillos:

Attamen

Attamen ipsa suis facit utilitatibus annum  
Acceptum agricolis, qui tunc plerumq; fruuntur  
Per messem partis, reparantq; laboribus agras  
Vires, quæ lassa reliquum instaurantur ad annum.  
Adde quod admittat longam nox longa quietem.  
Interea terram constringit frigore Eruma,  
Ne de se spargat damnosos forte vapores,  
Et niue hyperborea quæ sunt concredit a fulcis  
Semina, tunc tuto tectæ tellure quiescunt,  
Nec male clementis cœli illa iniuria laedit.  
Deniq; nos minus afficeret clementia veris  
Purpurei, nec sentiremus pectore tanta  
Gaudia de læto vernantis temporis ævo :  
Ni ver auricomans byemis præcederet horror.  
Anni quadrifidi sed iam variatio restat.  
Hanc quoq; non sicco pede transeo : nam patet inde  
Florida totius dulcedo mobilis anni.  
Nam quodecumq; statu semper persistit eodem,  
Hoc perhibent tandem generat fastidia mentis  
Nec Deus hoc etiam pacto nos condidit orbos.  
Hinc circum circa totius amabilis anni  
Multi iugis opibus terræ est variata corolla.  
Hic ego, mens metri si ferret pandere vela :  
Cuni mihi se facile obtulerint primordia fandi :  
Vnquam ne finem possem indagare reverer.  
Verum hæc ipse quidem, spacijs disclusus inquis,

Prater.

Præteriens alijs post commemoranda relinquo :  
Et fessam terris festino aduertere proram.  
Quod superest vnum ie trino nomine Numen  
Appello, veluti primum, sic sine sub ipso,  
Persoluens, quantas concernunt pectora grates,  
Hactenus elapsos quod fortunaueris annos ;  
Nec non præsentem largè ditaueris annum;  
Cinxeris atq; opibus tanquam vegetante corollâ,  
Quem rubicunda seges non vanis lusit auenis.  
Nostraq; coniungo deuoto pectore vota,  
Mitibus ut fundos oculis, vinetaq; lustrans,  
Fœcunda in reliquum nostro vestigia ruri  
Infigas, quæ distillant pinguedine plena :  
Donce in æternis cœlorum iugiter hortis  
Nectarare & Ambrosiam saturi, induitiq; Coronâ  
Iustitiae dia fulgebimus omne per æuum.

F I N I S.

Lipsiæ, imprimebat Valent. am Ende.  
Typis Heredum BEYERI.

M. D. C. V.

Ob. 1856. 8

ULB Halle

002 386 801

3



D

~~TD 115 L~~

VD 17

A 1



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres  
Inches

